

(15.) A. J. S. 91

# DE LUPO.

---

## DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

SENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILLIELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XII. M. FEBRUARII A. MDCCCXLVIII

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

**ALFREDUS CHAVANNES**

HELVETIUS.

---

### OPPONENTIBUS:

G. KALKOFF, MED. ET CHIR. DR.

A. THEBESIUS, MED. ET CHIR. DR.

L. HOEPNER MED. ET CHIR. DR.

---

BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.



# AMERICAN

STATISTICAL APPENDIX  
1908

Digitized by the Internet Archive  
in 2016

PATRI OPTIMO,

AD CINERES USQUE COLENDO

**ALEXANDRO CHAVANNES**

HASCE  
STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

CONSECRAT

AUCTOR.

# DE L U P O.

---

## INTRODUCTIO.

**A**n-tequam recentiore aetate, singulatim Galli et Angli, in morbos cutaneos accuratius inquirere eorumque formas in certos ordines redigere coeperunt, morbus, de quo scripturus sum, *lupus*, herpetibus adnumerari et herpes exedens, phagedaenicus, depascens appellari solebat.

Quod ad ejus naturam pertinet, multi analogiam quandam inter eum et morbos cancrosos intercedere existimabant nomenque cancri exedentis ei imper-tiebant. Tametsi etiam vox, qua nostrates vulgo utuntur, *lupus*, multum habet ambigui, tamen praeferenda videtur nomini *herpetis exedentis*, quum herpetis nomine designare soleamus malum cutaneum, quod per se nihil habet destructivi; praeterea autem vesicularum, nonnunquam pustularum forma emergit, id quod a nostro morbo alienum est.

Quodsi lupi indolem sciscitaris, morbum esse scias destructivum, qui cutem externam et membranas mucosas, imprimis faciei, adgreditur indeque latius altiusque serpit. Non semper autem mera destruendi proclivitas lupi indolem determinat, verum etiam singularis destructionis ratio, quam describere potest. Plurimum lupus cutem partesque subjectas ulceribus malignis saniem secernentibus, rubore proprio, violaceo cinctis, postea fuscas crustas adhaerentes concipientibus, destruit; ablatis crustis, substantiae defectus animadvertitur. Interdum destructio non ulceratione efficitur, sed levi exfoliatione, qua partes corrugando auferuntur; utroque quidem in casu partium affectarum contractio, lupo peculiaris, exoritur. Formae primitivae, quibus morbus manifestatur, variae sunt. Modo enim maculae apparent ex violaceo rubicundae, modo tubercula haud dolorifica ejusdem coloris, modo pustulae, nunc impetiginis, nunc ecthymatis pustulis similes.

---

§. 1.

**R**ayer et Batemann lupum ordini morborum cutis tuberculosorum subjunxerunt, perperam vero, neque enim huic, neque alii ordini stricte adnumerari potest. Cazenave et Schedel, Biettii systema fusius exponentes, lupum collocarunt in appendice, qua plures morbi cutanei, varia insignes forma, continentur. Quamquam autem horum auctorum sententia naturae consentanea esse videtur, tamen nonnulla, ut Blasius adnotat, vituperanda sunt. Partim enim de duabus tantum formis primitivis agitur et forma exfoliativa obiter memoratur, partim forma ulcerativa non solum in duas species temere dispescitur, sed etiam fungosa cutis degeneratio, a lupo aliena, huc refertur.

Recentioris aevi scriptores formam lupi pustulosam plane praetermiserunt, quam superiores, ut P. Frank, Schmalz, alii, maxime respexisse viden-

tur, etenim vesiculas aut pustulas pro forma primitiva cujusque herpetis habentes, nomen herpetis exedentis malo nostro imposuerunt.

§. 2.

Quemadmodum lupi formae primitivae, ita quoque progressivae variant, quippe quarum tres possint discerni: ulcerativa, exfoliativa, hypertrophica; lupum superficialem, ut speciem singularem, merito repudiandum censet Blasius.

Priusquam vero formas enumeratas singulatim describam, ea compleam necesse est, quae de formis lupi primitivis obiter adnotavi. Forma nimirum primitiva aut tuberculosa est, aut pustulosa, aut maculosa, earumque frequentissima habetur prima, ita ut lupus ex nodulis vel pluribus, vel singularibus, ex rubro coerulescentibus, duriusculis, haud magnis, emergat, qui, doloris expertes, per longum saepe tempus sine manifesta mutatione perstant, interdum tamen primitus insignem habent amplitudinem, vel coeuntes superficiem livide rubram, mediocriter elevatam et resistantem afferunt. Quandoque tuberculorum apex squama albida sicca obtegitur, saepius autem, interposito vario tempore, in ulcerationem abeunt. Haud raro pustulae primi-



tivam lupi formam constituunt, saepius impetiginis quam ecthymatis pustulis similes, interdum cattervatim ex locis rubide purpureis emergentes, quae haud multo post rumpuntur et crustis adhaerentibus fuscis teguntur, quibus dejectis ulcera, haud raro profunda, observantur, quae novas crustas concipiunt. Circa pustulas rubor lupi animadvertitur, cui levis intumescencia cutis, nonnunquam tuberculorum in ulcerationem transeuntium formatio adjungitur.

Denique primitiva lupi species cernitur in maculis ex rubro lividis, primum in facie, praecipue in nasi apice efflorescentibus, quae minus quam partes ambientes turgent, paulatim colorem saturatiorem induunt et in ulcerationem superficialem, tam latitudine quam altitudine increscentem, transeunt, aut, quod saepius evenit, variam superficiei exfoliationem ostendunt. Non semper autem prima morbi exordia in cute apparent, interdum enim tunicae narium pituitariae inflammatio initium constituit. Aegroti his in casibus catarrhi narium symptomatibus laborant, nasus ipse paullum tumidus et rubefactus invenitur, membranae Schneiderianae crusta tenuis innascitur, cui avulsae altera crassior succedit, sub qua ulceratio existit, magna saepe incrementa capiens, antequam morbus in cute externa conspicitur.

§. 3.

Proximum est, ut de formis lupi progressivis disseram, quarum frequentissimam lupus ulcerativus sistit. Vel ex pustulis emergit, vel ita oritur, ut tuberculorum vel macularum superficies in ulcerationem vertatur.

Ulcera modo in latitudinem, modo in altitudinem magis serpunt, nunc superficiem tantum adgrediuntur, nunc cutem, telam cellularem omnesque partes subjectas, imprimis nasi cartilagine, devastant; rarius ossa, exceptis narium conchis, petunt. Ulcera saniem secernunt, parum vel nihil doloris movent, margines offerunt inaequales, erosos, crustis teguntur aut crassioribus aut tenuioribus, colorem fuscum, nigricantem, interdum laetiores habentibus, quae firmiter adhaerent et revulsae sanguinis fluxum efficiunt. Ambitus ex coeruleo rubellus est, paulum tumidus, pustulis vel tuberculis obsessus, quibus ulceratis destructio progreditur. Prout lupus ulcerativus plus minusve superficialis est, varia ejus ratio exstat, quam differentiam praecipue Bielt exposuit. Superficialis lupus interdum per magnum ambitum diffunditur, imo majorem faciei partem devastat, ulcerationem exhibens irregularem,

circa quam novae pustulae aut tubercula erumpunt, quae durum, asperum, tumidum formant vallum, novaque ulceratione exorta malum propagant.

Plerumque loca primitus affecta cicatricibus obducuntur albis, irregularibus, elevatis similibusque iis, quae combustionem sequuntur; si malum vehementius est, cicatrices nova ulceratione destruuntur. Haec lupi species saepius alias faciei partes ac nasum adoritur; serius vero hunc etiam petit saepeque nasi apicem aut alas diruit. Cicatrices relictæ irregulares sunt, subinde permagnæ, albidæ, coeruleæ, roseæ, tensæ et nitentès, passim crassæ, passim adeo tenues, ut pellucidæ esse videantur. Lupus altius descendens inprimis nasum corripit, primum quidem apicem ejus vel alas; verum etiam labiis aliisque partibus non parcat et saepe magnas infert devastationes. Initio ulceratio superficialis exoritur, crustam primo tenuiorem, deinceps autem crassiorem concipiens, qua secedente ulcus profundius apparet. Tali modo citra dolorem intensiorem cutis, tela cellularis, omnesque partes profundiores, cartilagine nasii, imo ossa destruuntur.

Destructionis progressus tum rapidiores, tum tardiores sunt: aliis enim in casibus longiore tem-

pore interjecto partium affectarum degeneratio mediocris, in aliis post paucas hebdomades gravissima reperitur, imo nasus omnino devastatur. Quae partes ulceratione deletae sunt, cae recuperata sanitate nunquam instaurantur; cicatrices manent albae, nitentes, tensae, contractae et perinde ac priores in novam abire possunt ulcerationem.

#### §. 4.

Lupus exfoliativus in omnibus faciei partibus occurrit, interdum totam faciem occupat; praeterea quoque artus superiores adoritur, quorum magnam partem saepe obducit. Primum tubercula aut maculae apparent, quarum superficies deinde exfoliationem plus minusve perspicuam praebet, ita ut epidermidis particulae vel squamae majores, ex albo nitentes secedant. Desquamatio nonnunquam adeo exigua est, ut vix animadvertatur. Peracta exfoliatione superficies remanet laevis et nitida, ex coeruleo rubescens, haud dolorifica, cujus epidermis iterum iterumque solvitur. Inter haec cutis quasi tabescit et cum tela cellulari consumitur, neque vero continuitatis laesio, neque anomala secretio accedit. Elapso nimirum quodam tempore cutis tenuior apparet, partibus subjectis strictius

adhaeret, contrahitur et cicatricem imitatur: strias nempe conformat tensas, saepe ramificatas aut decussatas, quae, subsistente exfoliatione, duriusculae et partibus ambientibus candidiores cernuntur. Ejusmodi loca cutanea quoque inter ipsum morbi decursum, exfoliatione passim inhibita, observantur. Quodsi morbus nasum occupavit, pars hujus cartilaginea ab omni parte versus centrum retracta, apex brevior et obtusior, nares angustiores, alae compressae videntur. Parti osseae nasi cutis stricte superintensa est, palpebris ectropia superveniunt, saepe tantum gradum obtinentia, ut margo ciliaris adiaceat margini orbitali, totaque externa palpebrae lamina deficiat. Hujus lupi gradus admodum mediocres haud raro per longum tempus protrahitur, quandoque autem intra brevissimum temporis spatium ad pilosam capitis partem et deorsum ad colli cutem protenditur.

### §. 5.

Lupus hypertrophicus per exceptionem tantum in aliis corporis partibus, quam facie, existit, semperque a tuberculis orditur, quae plerumque numerosa sunt majoremque planitiem, vel totam fa-

ciem obsident. Quae tubercula rarissime, nec nisi in superficie, corripuntur ulceratione, tum crustis tenuibus firmiter adhaerentibus teguntur et paulatim, basi amplificata, in superficiem morbosam continuam confluunt, sub qua cutis et tela cellularis citra dolorem et inflammationem tumescunt. Tumor plerumque grandis est, superficies ejus ruborem plus minusve intensum, nunquam vero purum exhibet, tactu magis elastica, dura et tensa est, quam sana cutis, quae phaenomena ex hypertrophia cutis telaeque cellulosa pendunt. Exfoliatio vix perspicua, ut in secunda lupi specie, locum habet et si accuratius superficiem intuemur, puncta videmus dispersa, intense rubicunda, quae apices tuberculorum, interstitiorum intumescuntia explanatorum, repraesentant. Aliquanto post hic illuc puncta et loca alba conspiciuntur, nimirum cicatrices, quae in tuberculorum locum successerunt.

**Facies** nonnunquam ingentem amplitudinem speciemque monstrosam adipiscitur, etenim procedente morbo etiam genae, nasus, frons, palpebrae, labia, imo aures intumescuntiae submittuntur. Nihilominus substantiae organicae consumptio haud mediocris exoritur, quam exfoliatio supra dicta inducit. Inhibita igitur conditione hypertrophica, aequae ac in lupo

exfoliatio partes plus minusve consumptae apparent. Saepe lupo hypertrophicus cum ulcerativo sociatur, praecipueque nasi apicem, aut alas inde a margine petit atque depascit, dum partes ambientes modo lupo hypertrophico corripiuntur.

### §. 6.

Valetudinis universae perturbationes cum lupo conjunctas esse, necesse non est, imo laborantium multi egregia valetudine fruuntur; apud mulieres tantum, praecipue eas, quae lupo valde diffuso tenentur, subinde mensium anomaliae observantur, quae plerumque demum morbo vigenti superveniunt, itaque ex eo pendent. Raris in casibus, nimirum si lupo celeriter expanditur magnasque devastationes infert, quibus causis aut magna humorum profusio, aut continua transpirationis cutaneae suppressio efficitur, secundariae affectiones universi corporis oriuntur, ut macies, digestionis organorum alienationes, imprimis ventriculi et intestinorum „status pituitosus”, sanguinis venosi in ventre stagnationes, oedematosi artuum tumores, hydrops internus et externus, febris lenta cum colliquationibus.

§. 7.

Quod attinet diagnosin breviter mentionem faciam lupi syphilitici, quem non modo Alibert et Biett, verum etiam Albers a lupo vulgari discernunt et syphiloideis adnumerant, id quod Blasius vituperat. Testibus Albers et Biett tubercula lupi syphilitici minora, magis dispersa sunt fundoque saturatius colorato et minus alienato insident, quam tubercula lupi scrophulosi; ambo vero tantam saepe similitudinem intercedere fatentur, ut modo diathesis scrophulosa, aut syphilitica veram morbi indolem dirimere possit. Cazenave et Schedel, tubercula lupi syphilitici, inquit, majus habent volumen, majorem duritiem, ruborem cupreum, exfoliationem non offerunt et ad ulcerationem minus vergunt; discrimen autem saepe difficilius esse inventu non diffitentur. Quae Cazenave et Schedel de ulcerationis differentia tradunt, non ad lupum syphiliticum, sed ad narium ulcera syphilitica pertinent, quae quidem destructionis ratione ab ea, quam lupo efficere solet, eo discrepant, quod ab ossea narium parte ordiuntur, dum lupo primum cartilagineas partes devastat. Blasius adnotat, lupum syphiliticum non semper a tuberculis inci-



pere, se enim apud eundem hominem pustulas et tubercula vicissim se excipere vidisse. Nec praetermittenda est lupi differentia ab iis ulceribus carcinomatosis, nominatim faciei, quae cancri cutanei nomine ex tuberculis aut maculis emergunt, plerumque *noli me tangere* appellantur et tam pertinacia quam destruendi proclivitate similitudinem lupi obtinent. Maculae quae antecedunt, atro-rubicundae sunt, nigricantes, epidermide rigida squamosa obtectae, rimosae, facile sanguinem edentes; una tantum macula exstat. Tuberculum, si ex hoc ulcus orditur, durum est, circumscriptum, asperum, verrucosum, dolores lancinantes movens. Ulcera margines habent reflexos, duros, speciem prae se ferunt spongiosam, luxuriantem, sin minus, fundum rubrum, laevem, crustamque vel nullam concipiunt, vel ex cinereo flavam, siccam, laxius adhaerentem. Generatim magis in altitudinem quam latitudinem serpunt et omnes, quas attingunt, partes sine discrimine devastant.

§. 8.

Si in lupi aetiologiam inquirimus, dispositionem ad hunc morbum aetati juniori prae ceteris inesse, haud diffitendum, nam infantes longe frequen-

tius corripuntur adultis. Adolescente aetate lupi frequentia diminuitur et quanquam experientia testatur, homines adultiores interdum eo tentari, rarissime tamen post quadragesimum vitae annum erumpit. Non minus autem primis vitae annis parcere videtur morbus: multi enim medici, ut Blasius, nunquam eum ante aetatis annum quartum observarunt. Sexus, ut Biett affirmat, differentiam non sistit, alii tamen sexum sequiorem crebrius periclitari asserunt. Homines ordinum inferiorum et rure viuentes frequentius corripuntur, quam qui contraria conditione utuntur.

Inter causas efficientes praecipue dyscrasiae referendae sunt, scrophulosis et syphilis, quare Alibert lupum (Dartre rongeante) in idiopathicum, scrophulosum et syphiliticum distribuit. Rust, utrum lupus, inquit, saepius ex causa scrophulosa quam syphilitica nascatur, an dyscrasia sui generis ei subsit, in suspensio est; id autem certo constat, curationem antiscrophulosam et antisiphiliticam plurimum valere. Apud infantes scrophulosos lupus praecipue hypertrophicus et ulcerativus altius descendens, quem Biett voracem nominat, frequentissime occurrit tantamque pertinaciam saepe adipiscitur, ut, si per aliquod tempus cesserit sympto-

mataque morbi scrophulosi et junior aetas dudum fugerint, revertatur. Lues quoque universalis quibusdam in casibus indubitata causam suppeditabat, quanquam nonnulli, ut supra adnotavi, lupum syphiliticum pro singulari specie habendum censuerunt. Haud raro autem omnia dyscrasiae cujusdam indicia deficiunt lupusque corpora adgreditur, quae habitu excellent bono semperque integra valetudine vixerunt. Multi quidem communes morborum cutaneorum causas ad lupum referendas existimarunt, at pleraeque earum non sunt ejusmodi, ut morbum tam pertinacem et destructivum ex iis deducere possis. Plurimum efficacitatis inter illas causas victus pravus et atmosphaera insalubris habere videntur, praecipue si meditamur, homines ordinum inferiorum et rusticanos omnium creberrime lupotentari. Ingravescere solet malum, si frigus humidum, refrigerium, aëris perflatus loca jam affecta offendunt. Respiciendae praeterea sunt mensium anomaliae, quibus mulieres lupo obnoxiae haud raro laborant; imo P. Frank has anomalias herpetem malignum reddere posse scribit.

Notandum autem est, illas anomalias interdum post longius demum tempus lupo supervenire et catameniorum instaurationem non semper morbum aut

tollere aut diminuere. Denique alii lupum hereditate alii infectione propagari opinantur, quarum sententiarum utraque nullis sustinetur argumentis idoneis.

§. 9.

Morbi indolem in anomala cutis vegetatione ponendam esse, quae secundarie etiam cum vicinis partibus communicari possit, nullam dubitationem recipere videtur. Perperam autem Rayer et alii inflammationem subesse putant, etenim totus lupi decursus et phaenomenorum omnium complexus huic sententiae e diametro repugnant. Vegetationis anomalia, quae in morbis inflammatoriis magis quantitativa esse solet, in lupo qualitativa apparet, quo fit, ut analogia quaedam cum cancris malis oriatur.

Utrumque enim vitium magna excellit facultate iterum iterumque revertendi, si valetudo redintegrata videtur nullaque amplius dyscrasiae vestigia in conspectum prodeunt. Minime autem lupum et cancrum oportet confundi, aut pro eodem malo haberi, quod supra exponere studui. Totam cutis crassitiam lupi sedem exhibere, tam sola ratio, quam disquisitiones anatomico-pathologicae, quae adeo in lupo maxime superficiali, maculoso nimirum, penitiores cutis mutationes offerunt, nobis persuadent.

§. 10.

Ex omnibus, quae supra retuli, facile patet, lupum raro quidem vitam in discrimen vocare, attamen propter indolem destructivam morbis perniciosissimis adnumerandum esse. Huc accedit, quod ingens ejus pertinacia est, ita quidem, ut vel heroicæ medendi methodi in multis casibus modo periodicam valetudinis instaurationem efficiant, imo nihil auxilii praestent, et ne destructionis quidem progressus inhibere valeant. Sin forte contingat, ut morbus radicitus exstinguatur, ergo perfecta sanitas recuperetur, plurimum cicatrices amplae turpissimae, nullis cedentes remediis, remanere solent. Exitum lethiferum non semper caveri posse, exemplum testatur a **Rust** appositum: lupus per totam cutem erat diffusus et in facie *Leontiasis* speciem evidentissime referebat; mortis causa in perfecta transpirationis cutaneae suppressione collocabatur. Quo longius protrahitur lupus et quo magis partes affectae a statu normali abalienantur, eo deterior evadit praedictio. Magnus lupi hypertrophici gradus in genere summam ostendit pertinaciam; minus sanationis spes affulget, si dyscrasia manifesta, quam medicamentis specificis impugnare possimus, non

subesse videtur. Quodsi accidit, ut cicatrices jam exortae iterum in ulcerationem transeant, magna morbi atrocitas indicatur. Si denique, ulceratione, exfoliatione aut hypertrophia depulsis, cicatrices residuae tuberculis vel pustulis sponte arescentibus obsidentur, si tactu molles aut quasi fluctuantes inveniuntur coloremque coerulescentem exhibent, maximopere metuendum est, ne morbus recrudescat et ad majorem atrocitatem graviusque periculum deinceps evehatur.

§. 11.

Superest, ut de lupi curatione disseram, quam difficillimam maximeque ambiguam esse nemo ignorat. Ante omnia causae universales investigari et, si indagatae sunt, suis remediis impugnari debent, scrophulosis nimirum et syphilis. Ubi causa syphilitica exstat, multi curationem mercurialem adhibendam, imprimis hydrargyrum bichloratum corrosivum praebendum esse judicant. Attamen neque hoc praeparatum, neque hydrargyrum oxydatum rubrum radicalem sanationem praestare solet. Plus utilitatis decocta lignorum pollicentur, imprimis decoctum Zittmanni. Num inunctionibus mercurialibus cum inedia, quam Truestedt et Blasius laudant, his

in casibus opus sit, equidem non dirimam; persuasum tamen habeo, medendi methodos blandiores eundem certe effectum adducere.

Ubi dyscrasia serophulosa locum habet, remedia antiscrophulosa fortiora possunt tentari, ut aethiops antimonialis, conium maculatum, baryta muriatica, aut calcaria muriatica, nec minus decocta specierum lignorum. Quum vero dicta medicamenta saepissime effectum salutari destituantur, recentiori tempore alia proposita sunt, quorum nonnulla saltem egregiis virtutibus excellunt. Pix liquida et aqua picis, jam dudum commendatae, magis levioribus, quam gravioribus lupi formis respondere videntur.

Inter praestantissima remedia haud dubie arsenicum numerandum, quo multi medici fide dignissimi pertinacissimas lupi formas radicitus sustulerunt, nimirum guttis duabus vel decem solutionis Fowleri aliquoties per diem adhibitis. Nec minus laudabile remedium, quod recentiori aevo debemus, jodum est, inprimis kalium jodatatum et connubia jodi cum hydrargyro, nempe hydrargyrum jodatatum flavum et hydrargyrum bijodatatum rubrum. Usitatissima est kalii jodati solutio (pro aetatis varietate  $\mathfrak{3}\beta$ — $\mathfrak{3}\text{ij}$  ad aq. destill.  $\mathfrak{5}\text{vj}$ ) cum ichthyocollo. Alii pulveres ex jodo, calomelane et herba digitalis proponunt, qui

quidem propter magnam jodi volatilitatem commendandi non sunt.

Prosperissimo cum eventu nonnulli bromum, singulatim kalium bromatum adhibuerunt, tam contra scrophulosum quam syphiliticum lupum. Equidem ipse in clinico Professoris Blasius, quod Halae floret, per aliquod tempus remedia commemorata modo majore, modo minore cum fructu contra lupum administrari vidi. Plurimum autem fiduciae vir ille Illustris in anthracokali posuit, idque in curando lupo omnibus aliis medicamentis praetulit. Quanquam effectus non semper talis erat, ut aegrotantes in integrum restituerentur, tamen virtutes salutare huic remedio derogari nequeunt. Ubi causae dyscraticae certae non deprehenduntur, eadem fere medicamenta in usum vocanda sunt, quibus enim in casibus solita antiscrophulosa vel antiherpetica laeto cum successu praebebantur, plurimum ibi auxilii externis remediis debebatur, quae breviter enumerare liceat. Oleum animale aethereum, cujus guttae v — vj initio, deinceps vero xx — xxv et quod excurrit, pro dosi exhibentur. Tinctura cantharidum, aequae atque ipsae cantharides, jam ante longum temporis spatium contra morbos herpeticos diuturnos adhibebantur et passim etiam nunc



adhibentur. Key et alii ferro oxydato fusco magnas tribuunt virtutes, ter per diem  $\text{Ἐ}$  aegrotis offerentes, Key usum externum linimenti infra nominandi adjungit. Denique hydrargyrum oxydatum rubrum a Stark et Succow, dosibus gradatim auctis, administratur. Quacumque autem utamur methodo, regimen idoneum semper summi est momenti. Aegroti caveant repentinam temperiei vicissitudinem, ciborum pinguium salitorum, fumigatorum, leguminum aliorumque dyspeptorum usum, omnes functionum naturalium, praecipue secretionum et excretionum perturbationes. Quum catameniorum muliebrium anomaliae saepe nexum causalem cum lupo alant, aptis remediis istae tollantur necesse est.

§. 12.

Neque parvi momenti in curanda cujusque lupi specie externa remedia sunt, quanquam fatendum est, ne unum quidem eorum certam et radicalem sanationem polliceri. Multa palliativum praestant auxilium, morbum autem recidivum non prohibent. Remedia huc spectantia partim irritantia et alterantia, partim caustica sunt, certus autem limes inter utrumque remediorum genus constitui nequit. Medicamina partium affectarum vitam alterantia tum

in usum vocanda sunt, quando lupus est incipiens, maculae aut tubercula nondum ulcerata locum habent; porro si lupus exfoliativus, aut hypertrophicus, vel cicatrices suspectae exstant. Causticis autem locus datur, ubi lupus longius processit gravisque ulceratio viget, quae morbosam superficiem destrui bonamque suppurationem et granulationem induci jubet.

Inter irritantia et alterantia remedia ponenda sunt: linimentum a Key commendatum, ex unguento mercuriali ( $\xi j \beta$ ), camphora ( $3 j$ ), spiritu terebinth. ( $3 j \beta$ ), axungia porci ( $3 \beta$ ); porro oleum animale aethereum, quo loca aegrotantia oblinuntur, neque minus oleum cajeputi.

His longe praeferenda sunt jodi et hydrargyri connubia, unguenti forma adhibenda: aut hydrargyrum jodatum flavum ( $\Theta j - 3 \beta$  ad axungiae  $\xi j$ ), aut hydrargyrum bijodatum rubrum (gr. viij — xvj ad axungiae vel unguenti rosati  $\xi j$ ). Hoc unguentum locis affectis leniter illinitur, quo fit, ut irritatio, inflammatio, interdum ulceratio superficialis, quae salutaris esse solet, oriatur. Blasius qui hoc unguento frequentissime utitur, illud esse remedium putat, quod certius reliquis lupum inhibeat et radicalem efficiat sanationem. Fortius alterum est un-

guentum ex kalio jodato (gr. xij — xv) et unguento mercuriali ( $\bar{5}\beta$ ), quod non modo altius descendit, sed etiam lupum ulcerativum pertinacem promptius ad bonam granulationem et cicatrisationem perducit, praeterea autem vitam cicatricum suspectarum, saepe admodum torpidarum alterat. Lupus ulceratus etiam tinctura jodi illini, aut, quod Blasius commendat, mixtura hydrargyri bijodati et aquae destillatae (gr. ij — iv ad  $\bar{3}j$ ) foveri potest, quae mixtura quoque lupo hypertrophico et exfoliativo egregie mederi dicitur. Sulphur jodatum pariter atque hydrargyrum jodatum unguenti forma adhibetur, quod auctore Biett efficacissimum est.

### §. 13.

Inter caustica primo loco ponendum est argentum nitricum, ita vero impendendum, ut nullum lupi punctum intactum relinquatur. Respondere praesertim videtur formae pustulosae, dummodo quaeque pustula recens orta statim aperiatur lapideque infernali satis aduratur. Similem effectum praestant kali causticum, liquor stibii muriatici, liquor hydrargyri nitrici oxydati, quem Paillard et Richerand magnis laudibus extulerunt. Praeterea egregio cum fructu adhibita est pasta corrosiva Beat. de Graefe

ex hydrargyri muriatici corrosivi ʒij et pulveris gummi arabici et aquae destillatae aa ʒj parata; denique arsenicum album, nempe forma pulveris Cosmi cum unguento narcotico-balsamico Hellmundi, vel pastae simplicis instar administrandum. Quanquam arsenicum omnibus aliis causticis palmam praeripere videtur, tamen passim usu salutari destituitur, vel periodicum tantum auxilium affert. Priusquam unum alterumve dictorum causticorum usurpetur, lupum ab omnibus crustis oportet purgari; ubi ambitus nimius est, singula loca deinceps adurenda sunt. Deficiente ulceratione, primum imposito vesicatorio loci cujusdam excoariatio efficitur necesse est. Alii ferrum candens cauteriis potentialibus praeponunt, alii vero plane rejiciunt, quippe quod morbum in deterius vertat.

Quod equidem in clinico Profess. Blasius vidi, ferrum candens non gravius quidem malum reddit, verumtamen alia caustica minime efficacitate superat; imo argento nitrico, arsenico et hydrargyro bijodato postponendum est.

---

## V I T A.

---

**E**go Alfredus Chavannes, fidei evangelicae addictus, die VII m. Novemb. anni MDCCCXXIII Lausannae, Helvetiae oppido, patre Alexandro, matre Catharina e gente Coker natus sum. Primis litterarum elementis imbutus, gymnasium Lausannense, quod sub auspiciis directoris Solomiac florebat, adii.

Autumno anni MDCCCXLI Bernis a prorectore magifico Hundeshagen inter cives academicos receptus sum, ibique his scholis interfui:

III. Brunner de chemia;

III. Trechsel de physice;

III. Perty de zoologia;

III. Theile de osteologia, syndesmologia, myologia, angiologia, splanchnologia, neurologia, de arte cadavera rite secandi;

III. Valentin de anatomia universa, de physiologia, de historia geneseos;

III. Demme de chirurgia;

III. Rau de pathologia generali.

Post quatuor semestria academiam Parisiensem petii, ubi hasce lectiones frequentavi:

Ill. Blandin de chirurgia et aciurgia;

Ill. Marjolin de pathologia speciali;

Ill. Gendrin de pathologia et therapia morborum cordis;

Ill. Trousseau de materia medica;

Ill. Berard de physiologia.

Scholis clinicis interfui medicis Ill. Gendrin, Ill. Devergie, chirurgicis et ophthalmicis Ill. Velpeau, Ill. Berard.

Autumno anni MDCCCXLVI Halas me contuli, ubi ab Ill. d'Alton, t. t. prorectore magnifico, civibus academicis adscriptus hisce interfui lectionibus:

Ill. Friedlaender de materia medica, de medicinae historia;

Ill. Krukenberg de pathologia et therapia organorum digestionis;

Ill. Hohl de artis obstetriciae theoria;

Ill. Blasius de aciurgia et operationibus ophthalmicis;

Ill. Kraemer de auscultatione et percussione.

Scholis interfui clinicis et medicis et chirurgicis et obstetriciis Ill. Krukenberg, Ill. Blasius, Ill. Hohl.

Deinde adii universitatem Berolinensem et ab Ill. Mueller, t. t. rectore magnifico, inter cives academicos receptus, ab Ill. Juengken studiosis medicinae adscriptus sum.

Quibus viris, optime de me meritis, maximas ago  
semperque habeo gratias.

Jam vero tentamine medico, nec minus examine rigo-  
roso coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero  
fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi  
in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

---

## **T H E S E S .**

---

1. **Epidemiae homines et medicorum famam inter-**  
**imunt.**
  2. **Strepitus ille „bruit de diable” non in arteriis,**  
**sed in venis oritur.**
  3. **Hermaphroditismus non existit.**
  4. **Praeter putredinem nullum mortis signum certum.**
-